

EDIO

Herr Burger


















Q. D. B. V.

4

# CRUX CHRISTI,

Ex Historiarum monumentis  
extracta,

et

*DISPUTATIONE PUBLICA*

In Almâ Leucoreâ

*SUB PRÆSIDIO*

*Viri Pereximii Clarissimiq;*

**DN. M. ANDREÆ BAUDISII,**

Lignicio - Silesii,

exhibita

Ab

AUTORE-RESPONDENTE

**BALTHASARE LANGIO,**

Haynoviâ - Silesio.

*Anno M. DC. LXIX. D. XIX. Maji.*

*Horis matutinis, In Auditorio minori.*



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LXIX.



Q. D. B. N.

# CRUX CHRISTI

Ex Historiarum monumentis

exstructa

Diapentatonum per octo

In Anni Leonora

sub praesidio

per Praesidentem

DNM. ANTONIO B. BAUDISII



94 A 7379

BALTHASAR LANGIO

Hypocritae

Anno M. DC. LXXIX. D. XIX. Maji

Typographus in

WITTENBERG

Typo MATTHEI HENCKELII

Anno M. DC. LXXIX.

WITTENBERG

Typo MATTHEI HENCKELII

Anno M. DC. LXXIX.

WITTENBERG

Typo MATTHEI HENCKELII

Anno M. DC. LXXIX.

WITTENBERG

Typo MATTHEI HENCKELII

Anno M. DC. LXXIX.

WITTENBERG

Typo MATTHEI HENCKELII

Anno M. DC. LXXIX.

WITTENBERG

Typo MATTHEI HENCKELII

Anno M. DC. LXXIX.







*In Nomine Crucifixi nostri  
JESU CHRISTI!*



rucifixum Christum qui prædicant, Judæis scandalum, Græcis stultitiam prædicant 1. Cor. 1. v. 23. Nam quæ stulta sunt Mundi, elegit DEUS ut stulti fiant, qui sapientes se esse dicunt. Rom. 1. v. 22. Sed negligere suspensum, quid tum? tibi negligere Christum, improbe homo: mihi dulce est gloriari in Cruce Jesu mei crucifixi. Mors olim per arborem nata, sed vita per hanc Crucem reddita est, in quâ *ὁ ἐμὸς ἔργος ἐσάυρωται*. Quid verò? an cum Papiolis superstitionis dicam:

Salve Crux sancta, salve mundi gloria  
Vera spes nostra: salus in periculis,  
Te adorandam, Te Crucem vivificam,  
Semper laudamus, semper tibi canimus.

Ab sit. Illum potius totum figam in corde, qui totus pro me pependit in Cruce. Ille Mundi gloria, vera spes nostra, salus in periculis, semper adorandus, laudandus unicè. Ut verò exactiùs de uno alterovè mihi constet, quod in Passione Dominicâ notabile obvenit, ex antiquis Historiarum monumentis de Cruce Christi quædam eruam, ejusq; consideratione, sed sine suspitione Papiæ Idololatriæ, animum ad pias meditationes accendam. Ades, ô Jesu Crucifixe, & labores meos in Crucifixionis tuæ æternam memoriam profliga!

§. I.

CRucem in Cruce Christi explicandâ sibi figi, Clariss. Bartholinus in Epistolâ ad Salmasium tract. de latere Christi fatetur. Neq; inficiari possumus, innumeris difficultatibus Cru-

A 2

ccm



cem esse involutam, quibus superandis pares vix sumus. Operam  
verò navabimus, ut si non semper ad metam collimemus, certè  
nec procul aberremus. Primùm tenemus, Christo quidem Ju-  
dæo, sed non Judaico more Crucis supplicium esse impositum.  
Aliquot invenies, qui tradunt Judæis crucifixionem solemnem  
fuisse; ita Baronius, Sigonius, Spondanus, & juxta hunc Philo,  
qui ait apud Judæos homicidarum pœnam fuisse Crucem. Vid.  
Spondanus in Epit. Annal. p. 32. n. 29. Enimverò Crucis suppliciũ  
Ebræorum Respublica ignoravit, ut inquit Sixtinus Amama in  
Antib. Biblico. Testanturq; hoc Scaliger in Eusebium, Drusius,  
Hugo Grotius in annotat. Evangel. Georgius Calixtus, Walæus,  
Kippingius Antiquit. Rom. L. 2. c. 8. p. 474. Et sanè è Thalmudistis  
supplicia à Mosaicâ lege derivantibus liquet, combustionem, la-  
pidationem, gladium, strangulationemq; receptam apud Judæos  
fuisse. De Cruce altum silentium, sive leges sive exempla æsti-  
mes. Quid? quod Judæis tale judicium, neq; damnationis, neq;  
executionis competeat, ut fatentur ipsimet Joh. 18, 31. Si tamen  
quædam ejus vestigia occurrunt, non tam identitatem cum eò  
crucifigendi ritu, de quo nos disquirimus, inferunt, quam analo-  
gam quandam suspensionem, quâ alio modo jam occisi ad arbo-  
rem vel trabem, in terram defossam, attollebantur, ut probat Isaa-  
cus Casaubonus Exercit: 16. contra Baronium num. 77. Cujus-  
modi pœnâ imprimis plectebantur ii, qui ob blasphemiam vel  
Idololatriam lapidibus obruebantur: postea enim infigebatur  
palus terræ, unde transversa trabs exibat, & colligatis manibus  
attracti suspendebantur malefici propè solis occasum, moxq; ite-  
rum dimittebantur.

§. 2. Judæis itaq; exclusis, propius ad eos descendimus,  
qui Crucem Christi fabricârunt. Romanos offert historia sacra.  
Lictores ne verò an milites? De illis multa definit Lactantius lib.  
4. Inst. divin. c. 26. nec minus Adrichomius in descriptione Urbis  
Hierosol. num. 115. licitorum mentionem facit, cum sententiam  
adversò Christum publicatam à Judice ita recenset: Jesum Naza-  
renum subversorem Gentis, contemtorè Cæsaris, & falsum Mes-  
siam (ut Majorum suæ gentis testimonio probatum est) ducite ad  
communis supplicii locum, & cum ludibrio regiæ Majestatis, in  
medio duorum latronum Cruci affigite. Fatemur quidem fuisse  
Roma-



Romanis suos spiculatores & lictores: sed an in Cruce Christi exarandâ operam navaverint, in quæstione est. Malo negantium partes amplecti, partim ob scripturæ S. silentium, quo lictores ad actum Crucifixionis & Crucis structuram non admittuntur; partim ob non obscura vestigia, quæ Milites Crucis fabros produnt. Postquam enim Pilatus crucifigendum iis Christum tradidit, insatiabili crudelitate perciti, exquisitissima tormenta, & ignominiosissima ludibria excogitât, ad quæ rectius expedienda non lictorum, sed suarum manuum ministerio utuntur. Ipsi coronam spineam capiti sanctissimo imponendam contexunt, cur igitur ad Crucis compactionem alios lictores adscitos dicam? Adhæc multò turpius est, Cruci maleficum affigere, quàm affigendo malefico Crucem fabricare: illi vero milites Crucifixionis officium non detrectârunt, quantò minus Crucis ipsius præparationem? conf. Matth. c. 27. v. 29. 35. Marcus 15. v. 17. 20. 24. 25. Luc. 23. v. 33. Johannes 19. v. 2. & 18.

§. 3. Quis Crucem fabricarit, scimus, ex quâ materiâ eam fabricaverint architecti, dispiciendum nunc est. Hic, cujus speciei ligna ad Crucem elegerint, non satis liquet. Divus Bernhardus in eâ est sententiâ, Crucem ex quadruplici ligno fuisse compactâ, è Cypressò in infimâ parte, è Cedro in longitudine, ex Olivâ in summitate, è Palmâ in latitudine. A Bernhardo non distat Villamontius in itin. Terræ S. p. 761. Lipsius è quercu confectam Crucem existimat, arbore crebrâ inventu in Palæstinâ, & quàm maxime aptâ ad patibula. Qui Romanis militibus Romanas consuetudines rigidissimè affricant, ad sambuci infelix lignum confugiunt, in quo Plinius canes singulis annis à Romanis suspensos esse perhibet, ut perpetua sit memoria silentii, quo Gallos Capitolium obsidentes admiserunt, proditos tamen anserum strepitu. Verùm pleraquæ gratis dicta nobis in recensitis his opinionibus videntur. Bernhardus enim non fide historicâ Crucem descripsit, sed ut piæ meditationis melius vacaret, Crucem delineavit sibi, ut voluit. Exponit n. paulò post allegata meditationes suas, dum Cypressum ait esse timoris & humilitatis Symbolum; Cedrus ut arboribus aliis longior est, ita ei durationis Crucis & patientiæ imago est. Olivâ indicatur studium dilectionis & misericordiæ; Palma spei nostræ conditionem significat, quippe quæ non suppressi, sed sur-



sum contendere debet. Lipsio è diametro adversantur alii, qui rarissimè quercum in Palæstinâ inveniri probant. Sambucum non satis stabilit adducta ratio, nam si canes in eâ strangulati sunt, an ideò etiam homines? malim ego nihil certi definire, & asserere potiùs, quælibet obvia ligna à militibus assumpta, ad expediendum ocyus Crucifixionem.

§. 4. Materiam insequitur quantitas, commodè nunc igitur delibabimus hîc ea, quæ prolixè ab aliis de altitudine Crucis differuntur. Cruces aliæ humiles, aliæ sublimes apud Romanos fuerunt. Ad illas suspendebantur, quorum culpa non usq; adeò rigidum supplicium exigebat, aut qui canibus dilaniandi relinquebantur. Ad sublimes damnabantur malefici, quorum notabile delictum, notabili pœnâ plectebatur. Unde Galba apud Svetonium c. 9. damnato cuidam ad Crucem Tutori, qui pupillum veneno sustulerat, imploranti leges, & civem Romanum se esse testificantem, pœnam mutari, multoq; præ cæteris altiore & dealbatam statui Crucem præcepit; altiore quidem, ut digniori pœnâ conspicuâ; albam, ut Civi Romano. Cujusmodi nunc Crux Christi fuerit, dictu non usq; adeò planum est. Exstat quidem fovea Crucis in Sacello montis Calvariæ adhuc Hierosolymis, in quam impacta fuit, ( si tamen in eam fuit impacta ) Crux: Forma ejus est rotunda, sesquipedem profunda, latitudine per diametrum uncias sex continens, marginibus argenteâ lamina obductis, referente, qui vidit, J. Cotovico lib. 2. Itin. c. 4. Sed ( cum Bartholino dicimus ) nimis ingeniosus esset, qui ex eâ nobis aliquid divinaret, subtiliorq; ipso Pythagorâ apud Plutarchum in modulandâ Herculis staturâ, de quâ Gellius Noct. Attic. Lib. 1. c. 1. Ludovicus Granatensis & Binchius in Mellif. Theol. p. 1. L. 3. p. 428. ex aliorum conjecturis XV. pedes longam fuisse notant, alii tot cubitos altitudini concedunt, firmo tamen fundamento destituti. Rectius forsân dixerimus, Crucem Christi non omninò æqvè humilem fuisse, ac Latronum Cruces, quia & inter hos, ut peior latronibus, medius crucifixus est, & splendidior Crucem meruisse creditus, ob affectatam Regis Majestatem: sed mediocrem tamen altitudinem fuisse: Locutus enim ad Matrem suam discipulumq; Johannem, & verba vix tertiata faciens Christus ægrè exaudiri, epigraphem. imposita palo legi non potuisset, si nimia sublimitas Crucis,  
auri-



aurium oculorumq; usum non parum impediens, fuisset. Contrarium obtinet Salmasius in Epist. ad Bartholinum.

§. 5. Qualem Crucem, si externam spectes figuram, fabricaverint, dicere ordo monet. Patibulorum aliàs species plusquam una apud Autores occurrit. Usitatissima distinctio est in Cruces simplices & compactas. Simples habebant palum arrectarium tantum, ad quem maleficus clavis affixus pendeat, ut vult Lipsius lib. 1. c. 5. neq; puto rectè suspicari Kippingium Instit. Polit. L. 2. c. 7. §. 10. v. 69. talem Crucem pingi magis quam probari à Lipsio. A plerisq; Crux acuta huc trahitur, de qua locus est apud Senecam in Epist. 101. aliter quidem ab aliis lectus, ita tamen à Gronovio restitutus:

Vita dum super est, benè est,

Hanc mihi, vel acutâ

si sedeam Cruce: sustine.

Crux hæc cum nostro supplicio ferè coincideret, quò palo per corpus adacto per forante facinorosus extingvitur. Enimverò cum Salmasio doctissimo in Epist. 1. ad Bartholinum tract. de Latere Christi p. 230. ad compactam transferere malumus acutam Crucem, ut qui in illâ sedili medio insident, in acutâ Cruce federe dicantur. Talismodi autem Crux Christi, salvis veterum monumentis dici non potest.

§. 6. Compacta igitur fuit, quam Menochius facit l. decussatam, in qua duo ligna se per medium secabant, ad formam litteræ X, quæ cruciaria m. dicitur: l. commissam, in qua palo arrectario aliud super imponitur, cujusmodi forma nostrum T est, quod à Poetis nigra, itemq; mortuaria & mortifera littera nuncupatur. l. Immissam, cum stipes aut aliud quippiam supra lignum transversarium eminet. Examen assertionis hujus Menochii vid. apud Lipsium & Spondanum in Epit. Annal. p. 124. Nos eò supersedebimus, & facilioris notæ gratiâ de classe tantum dispiciemus, ad quam Crux Christi referenda.

§. 7. Raimondus de Agiles in Historiâ Hierosolymitanâ Ao. 1090. refert, Petro cuidam dormienti Antiochiæ in Capella Comitum S. Ægidii apparuisse Dominum, cum Cruce ex ligno, duobus nigris atq; rotundis factâ, non politâ neq; adaptâ, ni-



tâ, nisi quod in medio trabes incisæ se invicem complectebantur. Talis Crux Christi si fuisset, qualem vidisse se professus ille est, decussata fuisset; nam duo ligna in medio æqualiter secta apparuerunt. Enimverò pro Cruce Christi immisâ nimis illustria sunt Patrum testimonia, quorum seculo crucis supplicium adhuc viguit, tum & ipsius Scripturæ, quæ titulum super impositum prominuisse, testis est. De immisâ Cruce ut rectius constet, sciendum, eam dici vel rectam, vel inversam. Hæc erat, in quâ damnatus levabatur capite deorsum verso, quo supplicio S. Petrum affectum scribit Prudentius Peristeph: hym. VI. v. II. Origenes in Genesin apud Eusebium lib. 3. c. 1. Chrysostomus super 2. Timoth. 2. homil. 5. Hieronymus de script. Ecclesiast. c. 1. Baron. Annal. 1. p. 861. Dresserus de diebus Festis cit. Weizio Not. in Prudent. p. 595. Recta erat, in quam facinorosus levabatur capite sursum verso. De hæc pleni sunt omnes libri, plena Exemplorum vetustas, probatione igitur prolixâ supersedebimus.

§. 8. Qui Dominicæ Passionis historiam ex S. Evangelistis, ut & è Doctoribus Ecclesiasticis benè cognovit, non potest non asserere, Crucem Christi inversam rectam fuisse. De partibus igitur ejusdem nunc dicendum. Basis & sustentaculum omnium fuit lignum arrectarium, quod erectâ statione, in terram defigebatur, appellabaturq; Crucile. Circa hoc cum non æquè graves Eruditorum disceptationes occurrant, plura verba non faciemus: sed de eò potiùs quod proximè stipiti arrectario succedit, solliciti erimus.

§. 9. Sedile succedit haud dubiè, quod vocant, medium, toties à Patribus comprobatum. Sic enim Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone: Monocerotis cornua dici, & ostendi non potest rem aliam aut figuram ullam referre, nisi eam, quæ Crucis speciem adumbrat. Hujus enim lignum unum arrectarium est, cujus pars summa tanquam cornu eminent, atq; extat, cum alterum lignum tanquam transversarium coagmentatur, ejusq; extremitates instar cornuum videntur unico illi cornui utrinq; adjunctæ: *Καὶ τὸ ἐν τῷ μέλει πηγυρῶδες ὡς κέρατα καὶ αὐτὸ ἐξέχον ὄσιν, ἐφ' ᾧ ἐποχῶνται οἱ στυγερῶδες* i. e. Et quod in medio infixum est pegma, quasi cornu id ipsum etiam prominens



nens est, super quò feruntur Crucifixi. Ita & Irenæus L. 2. advers. Hæres. c. 42. Ipse, ait, habitus Crucis fines & summitates habet quinque, duas in latitudine, duas in longitudine, & unam in medio, ubi requiescit Crucifixus. Tertullianus acuti sedilis excessum in cruce non ignorat, & c. 10. adversus Judæos ejus mentionem facit. Liqvet ex istis omnibus, stipitem arrectarium, non usq; adeò simplicem & planum, sed cum alio ligno compactum fuisse, quod in medio palo prominuit. Cornu figuram aliquatenus præ se tulit, quia forsan excavatum curvumq; fuit, ephippiorum instar, ut arctius complecteretur insidentem cruciarium. In medio autem palo quia fuit, dicendum, sedile hoc medium Christi corpori pro sustentaculo inter femina datum fuisse. Sustinuit enim ibi delabentem corporis molem fortissime, & miseram vitam cum dolore miserâ quiete prorogavit, dum attrivit dissecuitq; inter femina crucifigendum.

§. 10. Ἐπέχον tn. hoc pegma alto presit silentio J. Lipsius; imò Fullerus miscell. sacr. L. 4. c. 12. p. 483. & Scaliger in Notis ad Euseb. p. 100. nihil minus, quàm sedile medium in cruce admittunt, obtrudentes omni animi contentione tabellam aliquam, quâ innixi affixiq; pedes cruciarii fuerunt, vel suppedaneum. Quod in Historiâ, ait Scaliger, de Cruce præcipuum est, & nemo, quod viderim, annotavit, in medio stipitis erat lignum impactum, cui insidebat is, qui cruci affigebatur. Ad quæ, ut & alia similis sensûs verba Fullerus: Quod de ligno suppedaneo narrat, verissimum est, & Justini verbis apprimè consentaneum, atq; à Nansio jamdudum observatum. Deinde è Justini verbis non eqvitandum crucis sedile medium, sed suppedaneum suum Vulcani malleo excudit. A Justino ad Irenæum conciliandum se vertit, qui l. 2. advers. Hæres. c. 42. contrarius esse videtur. Post Firmici verba pro se allegat. Sed & rationes comminiscitur: verba ἐφ' ᾧ ἐποχῆνται, non sessionem, sed stationem innuere vult, ἐποχῆσαι enim διὰ τῆς ὀχῆς vel curru dici: at verò in curribus falcatis Parabatæ stantes dimicârunt. Urget postmodum suppedanei necessitatem, quò cruciarius carere non potuisset, cum cessando à motu in eò quiescat. Porisma deniq; elicit, Crucem Christi quadratam fuisse, si Christus expansis manibus st-

B

terit,



terit, juxta Plinium H.N. L.7. c.17. & Vitruvium de Architect.  
Lib.3. cap.1.

§ II. Sed pace tanti Viri dicam, non sunt hæc tam gra-  
via momenta, ut sedile medium excindant, & suppedaneum sta-  
bilitant: Certè Justini verba, illi tantùm videntur adstruere sup-  
pedaneum, qui hoc in cerebro suo prius exstruxit. Suppeda-  
neum nunquam est in medio stipitis arrectarii, quippe quod  
non altius uno aut duobus pedibus è terrâ prominuisse ab ejus  
defensoribus conceditur. Rectius ergò in medio est sedile me-  
dium: nisi velis crucem duorum aut quatuor pedum altitudi-  
nem non excessisse. Ex Irenæi & Firmici verbis ad staticulum  
qualis est collectio? annon multò facilior ad sedile, cui & me-  
dietas, & quies, & directio, & extensio, & sustentatio, & constri-  
ctio magis convenit. Το ἐποχῆσαι non magis favet Fullero,  
quàm recensita omnia. In curribus enim falcatis, tamdiu stete-  
runt Parabatæ, quamdiu hosti obstiterunt sessuri extra prælium.  
Et ὄχλος non currum falcatum modò, sed aliud quod vis vehi-  
culorum genus notat, in quò nihil minus, quàm stantem inve-  
nias. Quare & ἐποχῆσαι de iis dicitur, qui quòlibet plauastro  
quòcunque modo vehuntur. Usus suppedanei, quem magni-  
ficè effert Fullerus, nos sedili medio vindicamus. Urget eun-  
dem Nihusius Canonicus Moguntinus contra Thomam Bar-  
tholinum, asseritque cum Gretsero L.1. de cruce c.30. requie-  
scere stantem in suppedaneo, dum levamen aliquod dolorum  
percipit, saltem initio, fatigatis nec dum stando cruribus. Sed  
si stando quiescitur, cur Athenienses in publicum prodeuntes  
servos secum duxerunt, sellas gestantes, quibus sedere possent  
defatigati? Ælian. L.4. Atque si vel maximè pedes quiescerent,  
tamen crus, femur, totumque corpus eundo delassatum, non  
quiesceret. Imò in statione nihil prorsus quietis ob musculo-  
rum extensionem esse, demonstrat Laurentius Lib.5. cap.7. &  
inter crurum actiones stationem collocat Galenus & Mercu-  
rialis. Itaque in suppedaneo nulla quies, qualis in sedili medio,  
licet nec hoc quieti forsan destinatum fuerit. Unde & Jac. Bosius  
L.1. de Cruce c.6. penitus illud pensitans, vehiculum medium  
magis congruum esse menti Irenæi affirmat. Porisma denique  
nisi



nisi insigniter fallor, Fullero contrarium est. Etenim, quia quadratura crucis ad staturam Salvatoris super suppedaneo stantis exigitur, ad eandem non potest assumi uno aut duobus pedibus majus minusve suppedaneum: secus longitudo Quadraturæ latitudinem excederet, quod contra Euclidis Definitiones. Itaque aut suppedaneum nullatenus ad quadratam crucem pertinet, aut crux quadrata exactè non erit. Utrumque ferit Fullerum.

§. 12. Transversarium lignum, quod & Antennam vocant, oculos in cruce altius elevantibus conspicitur. Ad hoc manus cruciarii extendebantur, vel affixæ clavis, vel alligatæ funibus. Suprema omnium pars crucis titulus est, communi Evangelistarum consensu indubius. Non obtinuit equeidem consuetudo, ut omnibus crucifigendis ille imponeretur, nam & sæpè præcones adhibiti sunt, qui clarâ voce præeuntes, flagitia cruciarii & causam mortis proclamârunt. Unde & Franciscus Xavier & Gretserus Lib. 1. de Cruce c. 16. præconem talem introducunt, qui altâ voce prædixit: Hoc est mandatum Pilati, nomine Tiberii Cæsaris, ut hic Iesus Nazareus capitis supplicio afficiatur, quia homines seduxit, seq; Regem & Filium Dei vocavit. Sed quicquid horum sit, de veritate dictorum viderint ipsi, nos tacentibus Evangelistis tacebimus, & loquentibus iis loquimur, acquiescimusq; in solo titulo. Continebat hic causam mortis; scriptura ne verò, an cælatura fuerit, dubiû est inter Autores. Daniel Heinsius pro cælatura militat: sed Scripturæ favet ipsa Scriptura S., nam *αιτια γεγραμμένη* apud Matthæum, *Ἰπυραφὴ γεγραμμένη* apud Marcum & Lucam, *ἔγραψε τίτλον* apud Johannem est. Consentunt Walæus, & Salmasius Epist. 1. de Cruce. Scripta verò erat causa mortis litteris Ebræis, propter Judæos, Latinis propter Romanos, Græcis propter Gentes undiqve Hierosolymam confluentes. Ex Innocentio Centur. Magdeburgens. cent. 13. cap. 6. pag. 254. allegant, in officio Missæ concurrere trium lingvarum diversitatem, quæ præfigurata in titulo Crucis trium lingvarum litteris scripto.

§. 13. Sed de his fusius alii alibi: nos antequam disputatoriâ palæstrâ exeamus, vice omnium adjunctorum & consequentium Crucis, unicè Inventionem ejus, examine non indi-



gnam attingemus. Sanctissimam foeminam Helenam, Constantini Magni Imperatoris matrem laudatissimam, singulari Pietatis zelo & desiderio videndi loca sancta Palaestinae excitatam Hierosolymas profectam esse scribunt. Eo igitur cum venisset, certior facta de loco crucifixionis, statim secum decrevit, investigare reliquias sanctas, & imprimis Crucem, quoad fieri posset, e tenebris in apricum producere. Ipsa montem Golgatha conscendit, & Ecce! ait, locus pugnae, ubi est victoria? Ego in regnis, Crux Domini in pulvere &c. Video, quid egeris Diabole, ut gladius, quo peremptus es, obstrueretur &c. Vicit te Maria, quae genuit triumphatorem: Vince- ris & hodie, ut mulier tuas insidias deprehendat. Illa Dominum gestavit, ego crucem ejus investigabo: Illa generatum docuit, ego resuscitatum &c. Haec, quae in Orat. exequiali Theodosii ab Ambrosio scripta, esse creduntur, cum dixisset, hortata est Operas, ut strenue laborando fodiendoque felicitatem orbis Christiani, in inventione Crucis sitam accelerarent. Remoto terrae & lapidum cumulo apparuerunt tres cruces, sui que ad- spectu ingens in Helenae & omnium adstantium animis gaudium excitaverunt. Cum vero inter se discerni non possent, nec in- dubie constaret, in quam istarum Dominus totius generis humani scelera expiasset, ancipites & tristes omnes haeserunt. Accidit ut foemina gravi morbo afflicta semimortua decumbe- ret. Tum Macarius, Ecclesiae Episcopus, Reginam comitatus, cum ea & Populo aegrotantem adiit, precesque ad Deum fu- dit, ut restitutione decumbentis ad vitam, manifestaret quae- sitam Crucem. Admota est prima Crux, sed sine fructu, admo- ta secunda, verum irrita successu, adhibita denique tertia, cujus tactu mulier ad valetudinem bonam rediit, testimoniumque verae crucis dedit. Agnitam devote Helena venerata est, par- temque ejus Hierosolymis studiosè asservari mandavit, par- tem Filio Constantino misit, quam galeae, frenis, phalerisque suis adaptavit.

§. 13. Talis Historia inventae Crucis est, qualem excerpte licuit ex oratione illa citata Ambrosiana, & Ruffino L. I. c. 7. & 8. Exercitus totus super est aliorum, quibus religio est, inven- tionem



tionem hanc in dubium vocare. Nihil dicemus de Zonarâ, Niphophoro, Theodoreto, Sozomeno & Socrate, qui unanimi consensu ab Helenâ Crucem restitutam esse asseverant; tota certè Papistarum colluvies pro Crucis suæ particulis, quas Helenæ acceptas ferunt, tanquam pro aris & focis militant. Asservata passim habent in suis cœnobiis & templis segmenta, à stipite Crucis avulsa. Exhibitæ sunt ante nostra tempora in Templo omnium Sanctorum Wittebergæ 39. particulae, & una insigniter magna de Cruce Christi, teste libro, qui de reliquiis Sanctorum Wittebergæ asservatis, excusus est typis publicis an. 1509. Nihil de Halâ Saxonum, nihil de Italiæ sanctuariis dicam, certè si particulae omnes, in Ecclesiis Papisticis detentæ, unum in locum conferendæ essent, iis tollendis vix Sisyphus, nedum Simon Cyrenæus par esset. Conferantur imprimis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, Gretserus L. I. de Cruce, Polydorus Virgilius L. 5. de rerum invent. Johannes Bosius de Triumpho Crucis L. 4.

§. 14. Diversum verò sentire gravissima momenta nos cogunt, nequicquam obstante infinitâ illâ contradicentium turbâ. Non irruemus confuso agmine in dissentientes, sed ut stringamus acrius, bipartitò oppugnabim⁹ illos. In altero κατὰ τὴν ἱστορίαν Historiam cum Historiâ commitemus, atq; ex contrariâ ejus difformitate monstrabimus, quid solidi subsit. In altero ratiociniis κατὰ τὴν ἀλήθειαν formatis absurdas rationes falsi convincemus. In altero certitudinem, in altero veritatem inventionis investigabimus. Raphaël Volateranus Comment: Urban. L. 22. provocat disertè ad discrepantiam quæ in Historiis, de Cruce Christi sub Helenâ repertâ, est. Neq; adversabitur quisquâ, si æqvâ animi lance trutinetur, vix ullam occurrere circumstantiam, quam non aliter hic, aliter ille, aliter iste describit. De tempore primùm faciemus verba, de quò jam dudum majorlis fuit, quam de pomo Eridos. Platina in vitâ Eusebii Papæ Romani circa annû Christi CCCVII. inventam esse Crucem affirmat: sed mirè hæc torquent Onuphrium Augustinensem Monachum in suis ad Platinam annotationib⁹, statuentem, ni-



hil juris habuisse Constantinum M. in Palæstinâ Syriâq; illo tē-  
pore, atrocissimis Maximini persecutionibus oppressâ. Imò  
Marianus Scotus tūm temporis Helenam infidelem, & hetero-  
doxiæ addictam adhuc fuisse, monuisseq; filium Constantinū,  
ut Christianam religionem desereret, demum à Sylvestro Papâ  
conversam testatur. At si hoc esset, Eusebii tempore Crux reper-  
ta haudquaquam dici posset, qvi ante Sylvestris initum Pontifi-  
catum fatis concessit. Zonaras Tom. III. Annal. post baptizatū  
Constantinum, Helenam, ascito sibi comite Sylvestre, Hieroso-  
lymas migrasse & Crucem in vestigasse perhibet: sed invito Hi-  
storix consensu: Mortua enim Helena est, anteqvam Constan-  
tinus sanctum lavacrum susciperet. Imò si post Baptismū Con-  
stantini demum iter in Palæstinam ingressa esset Helena, qvī  
potuisset Filii auspiciis templum Veneris abolere, qvòd com-  
muniter traditur? Constantinus enim Anno 337. expeditionem  
in Persiam contra Saporem adornans, cum ad thermas Pythias  
venisset, vehementi febre correptus, post Nicomediam dela-  
tus, ibidem ab Eusebio Episcopo Ariano paulò ante finem vitæ  
baptismum accepit, breviq; post esse desit.

§. 15. Diximus antea, Crucem Christi genuinam à latronum  
patibulis discretam esse restitutione fœminæ diuturno mor-  
bo detentæ. Ita enim Ruffinus, Alexander Monachus, qvem edi-  
dit ex Bibliothecâ Bavaricâ Gretserus, & lingvæ latinæ restituit  
Schottus, ut & Georgius Hamartolus, Socrates, Sozomenus.  
Contrà verò Paulinus & Sulpitius mortuam ad vitam revoca-  
tam fuisse Crucis Domini tactu commemorant, qvibus So-  
zomenus subdubitans obloqui satis non audet. Chrysostramus  
ope tituli affixi, & qvía media interduas inventa est Crux, illam  
agnitam demonstrare satagit: sed è diametro adversatur illi  
Sozomenus, cum ait: Perdifficile erat, Crucem Domini à reli-  
quis duabus internoscere, præsertim cum non illius modò in-  
scriptio ab eâ divulsa esset, verùm etiam ipsæ tres Cruces pro-  
miscuè projectæ erant. Constantino M. missam esse partē Cru-  
cis leviter ex allegatis Patribus, neqvicquam ex numismatibus  
probat. Fraudem enim Josephus Scaliger detexit, probatq;  
novam



novam illorum conflaturam veterem esse figuram. Ambrosianam Orationem, quæ in hoc negotio plurimum ponderis habet, supposititiam esse, & nihil Ambrosianæ gravitatis completi, Erasmus abundè testatur, & satius probat quam Gretserus, qui Erasmi censuram nihili faciendam strepit.

§. 16. Nobis imprimis suspicionem movet, altum de inventione Crucis silentium Eusebii. Accuratissimus ille Historicus de templo Constantini in sancto Servatoris resurrectionis loco exstructo, de Helenâ vetulâ Palæstinam visitante, & duo templa, alterum in Urbe Bethlehemiticâ, alterum in Monte Olivarum ædificante verba multa facit. Hic locus erat etiam tradendi de inventione sanctæ Crucis, ab eâ Imperatrice reperiæ, nisi mera esset inventio, quæ nondum tempore Eusebii excogitata fuerat, nec conficta. Accurati Historici præcipuum munus est nihil præterire, quod singulari notâ dignum est: At memorabile certè illud imprimis videtur, quomodo sanationis miraculo de tribus Crucibus cognitum est, quænam vera fuerit, & quâ ratione discreta à duobus reliquis, quibus latrones affixi fuerunt. In Chronico equeidem Eusebii Inventio refertur ad annum Constantini XV, recenseturq; illud, quod L. 3. de vitâ Constantini liberorumve ejus non taceri debuisset: sed videtur manus aliena impunè grassata esse per illa Eusebii scripta, & parùm fideliter quædam inseruisse, sicut fatetur hoc Baronius Tomo III. ad An. 325. multis Librariorum incuriam accusans.

§. 17. Verum & sana ratio fabulosæ inventioni fidem derogat. Æstimet enim quivis lignorum conditionem pulvere & ruderibus obrutorum, quamdiu ætatem ferant. Frustra Exempla allegas, stipitum quorundam aqvis immerforum: arbores in Terram defossas certissima putredo manet. Adde quod sub Adriano Cæsare Urbs & templum Hierosolymitanum solo æqvata, & mox de novo in aliam urbem renovata, ubi magna etiâ in subjacentibus Urbis locis mutatio intercescit. Gentiles etiâ ut Christianis agrè facerent, illo loco, quo Crux reperta est, fanum Veneri sacrum exstruxerunt; quis itaq; credat, eos nullâ reliquiarum (si quæ fuerunt) rationem habuisse, ut in Christiani

ni



ni nominis infamiam, eas dedecore afficerent, aut igne combu-  
rerent. Sed ais, cum eruditissimo Bartholino: Cruces ibi tot  
bellorum everfionibus conservatas fuisse singulari fortassis  
beneficio, vel casu aliquò à superis directo: Rectè sanè (cum  
Salmasio regerimus) addis illud fortasse. Nam & fortasse non  
fuère conservatæ. Et hoc verius quam illud. Quare etiam ec-  
quod singulare Dei beneficium è servatâ Cruce spectari potue-  
rit? Ad salutem generis humani, ut crucifixus Dominus totum  
fecit, ita servata Crux ejus nihilominò proficit. Malleum et-  
iam servari fortasse plurimi retulit, quo clavi incussi fuère: De  
eò tamen nihil auditum.

§. 18. Mitto hæc, ne in locum ultimo theseos meæ funda-  
mento debitum peccem. Calvariæ mons omnium malefi-  
corum suppliciis destinatus fuit. In eò igitur sublatis Cruci-  
fixis cruces aut relictæ sunt, aut ab eò sublata: Si Cruces omnes  
relictæ sunt, cur tres illas tantum invenit Helena, in quibus  
Christus cum Latronibus pependit? aut si aliæ omnes putrefa-  
ctione corruptæ sunt, cur hæ ab illâ immunes fuerunt? Ad mira-  
culum confugere non licet, quia illud thesi præcedenti explo-  
sum est. Si Cruces omnes sublatae sunt, quod quidem probat  
Romanorum mos singulis Cruciaris singulas Cruces statuen-  
tium, quæ invenire Crucem Christi ibi potuit Helena? Meritò  
igitur Gelasius Papa dixit, Inventionem Crucis esse novel-  
lam relationem, cum judicio legendam, juxta doctri-  
nam Pauli: Omnia probate quod bonum  
est tenete.



*Perlegi d. 17 May. 1691.*



94 A 7379

ULB Halle

3

002 376 911




sb

WMA


7/4 Nov 1993











Q. D. B. V. 4

# CRUX CHRISTI,

Ex Historiarum monumentis  
extracta,

DISPUTATIONE PUBLICA  
In Almâ Leucoreâ

SUB PRÆSIDIO  
*Viri Pereximii Clarissimiq;*  
DN. M. ANDREÆ BAUDISII,  
Lignicio - Silesii,

exhibita  
Ab  
AUTORE-RESPONDENTE  
BALTHASARE LANGIO,  
Haynoviâ - Silesio.

Anno M. DC. LXIX. D. XIX. Maji.  
*Horis matutinis, In Auditorio minori.*



WITTENBERGÆ,  
Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. LXIX.